



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Historica Relatio De Potentissimi Regis Mogor**

**Peruschi, Giambattista**

**Mogvntiae, 1598**

**VD16 P 1672**

Exemplvm Secvndæ Epistolæ A P. Organtino Brixiano Societatis Iesv  
Meaco Iaponiæ datæ. Ad Reuerendum in Christo Patrem. N. P. Clavdivm  
Aqvavivam Præpositum Generalem. Pax Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65012)

EXEMPLVM

SECUNDÆ EPISTOLÆ

A. P. ORGANTINO BRIXIANO SO-  
CIETATIS IESV MEACO

Iaponiæ datæ.

*Ad Reuerendum in Christo Patrem. N.*

*P. CLAVDIVM AQUAVIVAM*

*Præpositum Generalem.*

PAX CHRISTI.

**R**E V E M hoc anno de statu Iaponiæ  
Meaco epistolam ad V. P. scripsi, cuius  
**B**reuitate minime contentus N.P. Vice-  
provincialis mandauit, vt fusius vberi-  
usq; omnia quæ accidissent persequerer: quan-  
quam videor mihi summo studio vniuersa con-  
gerenti multa necessario prætermissurus, tū quia  
quædam minuta memoria exciderunt, tum quia  
nos, vti consuetudine quotidiana detriti, non  
perinde, ac exteri rerum hic gestarum magnitu-  
dinem æstimamus. Describam autem singula eo  
ordine quo contigere, vt litteræ annuæ vel gene-  
rales facilius intelligi possint.

Versamur in hac ditione Meacensi Patres tres,  
fratres quatuor, cum quinq; clericis, reliquaque  
familia; omnes sumus numero 36. diuina gratia  
fani & incolumes. quisque pro talento sibi con-  
credito in hac vinea, ad populum Dei inter me-  
dias tribulationes, quas in octauum iam annum  
sustinemus, seruandum & augendum hactenus  
gnauiter laborat. Status apud Meacenses idolorū,

E 3      hoc

## HISTORICA RELATIO

hoc est templorum, domorum & ceremoniarum  
Ethnicarum, si externam speciem consideres, nūc  
est, si vñquam aliās, florentissimus, & si V. P. ocu-  
lis coram aspiceret, non solum vehementer ad-  
miraretur, sed etiam sancte affirmaret fieri non  
posse, vt ab his gentilibus tales ædificiorem mo-  
les excitarentur, & tamen hæc omnia, breui con-  
fidimus in veri Dei cultum transferenda. Nam  
cum sectarum Iaponicarū neruus pene totius sit  
incisus, hoc est, neq; studia amplius inter eos vi-  
geant, neq; vestigalibus consuetis, quibus nomen  
& autoritatem apud plebeios tuebanrur, dein-  
ceps fruantur, non aliud reliquum esse videtur,  
quam vt templa & delubra idolorum quoq; adi-  
mantur, in eisque sacrosancta Dei lex annuncie-  
tur, ac omnes gentiles ad Ecclesiam C H R I S T I  
aggregentur. Id modo excruciat animos nostros  
V.P. non amandare operarios conuenienter pro-  
ximæ spei nostræ; quam habemus de conuersio-  
ne omnium horum regnorum ad fidem C H R I-  
S T I Domini nostri mox consecutura.

Q u o d ad afflictionem nostram attinet, qua-  
tanto iam tempore exercemur, si fas est, in con-  
spectu Dei imbecillitatis nostræ cōscij, ita loqui,  
non nullo in mœrore sumus; quod ex multis in-  
dicijs non dubiam conjecturam faciamus, Do-  
minum nostrum velle nos tandem hac seruitute,  
vel, vt rectius dicam, libertate spiritus, fructuque  
spirituali, quem persecutiones pariunt, eripere.  
Quæ persecutiones, si rite cognoscantur, & meri-  
to tuo æstimentur, instar antidoti sunt omnium  
infirmitatum, valentque ad nos purgandos, illu-  
minandos & intimè cum C H R I S T O vniendos.

Premi-

Premimur quidem afflictionū onere, sed fructu  
erigimur, præsentiaque Christi animamur, 83  
excitamur, ne onus abijciamus, imò simillimi ei-  
us esse potius exoptemus. Atque ut sigillatim cæ-  
tera commemorem, immensam & multiplicem  
Deus O. M. erga nos misericordiam hoc tempore  
demonstrauit. Prima est, quod flagrante ipsa per-  
secutione Euangelium tam longe lateque in his  
regnis sit propagatum & celebratum; nullus e-  
nim in his prouincijs angulus est, in quo non  
sparsum sit sanctum C H R I S T I nomen; nullus  
locus ubi non Patres Societatis ad perdiscenda  
fidei nostræ mysteria auide exspectentur: nec  
denique ullum regnum tam remotum, in quo  
nō putemus aliquot Christianos factos, siue mul-  
tos, siue paucos. Et iam alij plerique omnes clari-  
us intelligere pergunt, quāto interuallo nostra  
sancta Ecclesia Romana, à diabolicis suorum se-  
ctis & conuēticulis distet; nominatim autē quan-  
ta sit in Ecclesia nostra dogmatum, voluntatumq;  
consensio, contra verè quanta sectarum Iaponi-  
carum dissensio, SECUNDA misericordia est,  
quod beneficio persecutionis huius nomē quoq;  
Societatis nostræ longius percreuerit per Iapo-  
nem, dū notant & demirātur constantiā & perse-  
uerantium nostrā in tantis calamitatibus pro sa-  
lute animarum perferendis, quodq; Deus nos va-  
rijs licet casibus iactatos, tamē nunquam deseru-  
erit, sed potius fecerit cum tentatione prouen-  
tum, Tertia, quod præclarām nobis occasio-  
nem præbuerit dexteritatis fortitudinisq; augen-  
dæ, & prudentiæ acuendæ, ac, si diuturnior esse  
pergat, omnium virtutum confirmandarum.

## HISTORICA RELATIO

Quarta, quod opportunitas data sit multis opera-  
rijs, tum nostris, tum Iaponensibus informandis,  
litterarumque & virtutum suppellectile neces-  
saria egregie instruendis, ut patefacta à Deo via,  
& signo iublato omnino parati sint ad certa-  
men cum idolis ineundum, ad disseminandum  
vsqueaque doctrinam Euangelicam, ad am-  
plissimam messem iam in omnibus regnis albe-  
fcentem & maturam colligendam & in horre-  
um Domini deportandam. Hanc in expeditio-  
nem præsto iam sunt in Iaponia Patres triginta  
nouem, fratres tres supra octoginta, ut initia reli-  
quos, qui seruiunt, & clericos: quorum plurimi  
breui idonei erunt ut nostræ Societati adscriban-  
tur: Omnia autem qui in tota Insula nobiscum  
vivunt, numerus attingit sexcentesimum. Quin-  
ta est, quod persecutor eiusque in regna Iaponiæ  
successores certorum hominum sermone iam fa-  
tis didicerint, non esse nos eos, qui esse sinistra  
aliorum informatione existimabamur, sed ab ex-  
tremis mundi partibus per mille pericula tan-  
tum salutis animarum procurandæ, tradendæque  
Euangelicæ doctrinæ causa, aduolasse. Sexta  
est, admiranda D E I potentia & caritas in Ec-  
clesiam Iaponicam sponsam suam apertè de-  
monstrata in eo, quod, nobis licet cohibitis  
& impeditis, tamen quadraginta gentilium mi-  
lia interim C H R I S T I iugo se subdiderint:  
inter quos sunt nonnulli viri Principes, ha-  
rum prouinciarum quasi columnæ. Nihil scri-  
bo de insigni fructu ab omnibus Patribus &  
fratribus ab Europa Indiaque huc delatis,  
in vul.

in vulgari lingua ediscenda factō; cum maior eorum pars, idiomate Iaponico, quod maximi æstimandum, iam concionari possit. Ergo cum sic eant res nostræ, quomodo possimus optare aliud; quam viuere in tribulatione cum CHRISTO?

INTER signaverò, quibus D E V S indicat breui patefactum iri ostium magnum ad demetendos amplissimos Iaponiq̄ campos, Primum illud est, quod Tyrannus nonnihil videatur nobis placatus; nam superioribus diebus gubernatori Meacensi dixit, parum referre si Amameoxani fiant Christiani, utpote homines viles & plebei; modo nobiles non fiant. Deinde consensit vt ego Meaci quietè persistam. ad hæc Patribus Nangasachi degentibus potestatem dedit reædificandi Ecclesias & domos, quas ante biennium, perperam à quibusdam informatus, euerti manda rat. Multis quoque verbis declarauit se facti pœnitere, & valde beneuolum ostendit ijs Christiani, quos initio huius calamitatis reprehenderat, & à suo conspectu summouerat, sic vt gubernatori Sacayano Augustini germano dixerit; caue diligenter, ne quid agas quod mihi displiceat; lex enim vestra postulat simplicitatem, veritatem, & diligentiam in ministerio Dominis præstando; declarabatque in totius aulæ præsentia sibi placere officia Magdalenaæ, eiusq; mariti & filiæ, suæ coniugi, quæ tum quoque aderat, dela ta; ipsumque deinceps aulæ Præfectum esse voluit. Eandem beneuolentiam quoque iam dictæ filiæ demonstrauit, quando ægræ omnia genera remediorum queri iussit ad restituendam ei pri-

## HISTORICA RELATIO

tinam valetudinem. Deinde Iustus Vcondonus apud eum in tanta gratia est, ut inter tres præcipuos belli duces annumeretur. Morte Chuan Gayo cognita, qui vñus fuit è præcipuis Christianis initio persecutionis exilio multatis, vehementer indoluit. Iam fauor & benevolentia qua prosequitur Augustinum, pacati in nos anni signum clarissimum est. Vxor quoque huius Regis eadem erga nos est voluntate. nam quoties sermo de nostris rebus incidit, bene de ijs loquitur, declarans nimirum legem Christianorum veram, gentilium falsam: tantamque affectionem paſsim erga nostra ostendit, vt si fidei nostræ mysteria audiret, non dubitemus eam fore Christianam.

ALTERVM signum est, quod omnes præcipui totius Iaponiæ Domini mirificam propensionem in sanctam legem nostram declarent: vt nihil ambigamus, quem vis eorum Christianum futurum, si eis doctrina Christiana annunciatur; nā Christo nomen dederunt haetenus, quot eam annunciari audierunt. Fidem eius rei facit multiplex benevolentia, qua omnes, & speciatim Quabacundonus cum præcipuis suis auxiliis, atq; huius vrbis Gubernator, cum omnibus alijs qui publico aliquo munere sub eo funguntur ac nonnulli etiā genere clari, nos complectuntur.

TERTIVM signum est, quod omnes bene de nobis, & religione nostra loquantur, contemp tim verò & abiectè de Iaponiorum sectis. Et certè, si non exstant magnifica ista templa à Rege exstructa, quamplurimi, vt opinor, sacrum baptisum, vti quidam iam cæperunt, postularent.

Postremum

Postremum, & ceteris efficacius signum est, quod nunc omnia Iaponis regna vni Regi parentibus sublatis omnibus bellis, latrocinijs publicis, portorijs, otiosorum ludis, & compotationibus ebriotorum, quæ grauissimis pœnis sineulla spe indulgentiæ castigantur. Quæ res multorum animos paravit, ad præbendas aures rebus nostris audiendis, & fidem sanctam complectendam. Iam inexplebilis illa Regis sitis aurum, argentumq; per fas & nefas corradendi, quamuis iniqua & tyrannica, tamen ex euentu valet ad coercenda omnia istorum Iaponensium vitia, imprimis laicuiam carnis, in qua iam crebri lapij non sunt: nam impensis in publicas fabricas faciendis, alijsque intolerabilibus tributis pendendis ita exhauriuntur, ut carni nulla insolescendi facultas relinquatur. Possimus etiam inter magna misericordiæ diuinæ erga hanc gentem signa reponere, quod Deus tam multos & idoneos operarios ex horum regnorum natione solo vocare dignatus sit ad nostram Societatem, quasi paratæ iam messis, in qua operam suam locare debeant, prognosticon. Quod si V. P. totidem alios nobis adiungeret ex Europa, iam expectatioui nostræ omnino factum esset satis Principale denique signum huius, quod primo loco dicendum erat, est Reuerendissimi Episcopi Iaponiæ huius Ecclesiæ Pastoris adventus.

Vt vero veniamus ad fructum in Meacensi ditione hoc anno collectum, commemorabo quædā quæ V.P. magnam afferent voluptatem. Meaci

quater-

## HISTORICA RELATIO

quaternas habemus ædes, magnitudine mediocri  
Sed vnas tantum incolimus, loco per quam com-  
modo, & occulto. reliquas seruamus in varios  
casus, qui tempore huius persecutionis incidere  
possent. Oblatus fuit mihi in vrbe locus extru-  
endis ædibus maioribus, quæ tamen Ecclesiæ  
nomen non haberent, valde opportunus, eun-  
demq; ante annos quatuor etiam Gubernator Vr-  
bis mihi permiserat, sed propter periculū, quod  
nobis impendere potuisset ex loco publico, con-  
ditionem accipere nolui. Licet enim cum bona  
venia huius Regis hic versemur, tamen quia Eu-  
angelij promulgandi potestas adempta est, con-  
uenit nos eo in loco degere, vbi nulla occasio de-  
tur suspicionibus, quemadmodum hactenus fe-  
cimus. His ergo in ædibus omnia ministeria no-  
stra exercemus, hoc est, confessiones audimus,  
concionamur, & baptizamus magno fructu. Il-  
lud verò studiosissimè cauemus, ne cætus sit æ-  
quo numerosior, & accusationi materia præbea-  
tur: Et quoniam omni Dominico conueniunt,  
in quorundam quoque Christianorum ædibus  
sacrum Missæ vicissim audiunt, secundum ordi-  
nem cuique perscriptum; ita ut omnes quolibet  
mense saltem semel diuinis intersint. Ut autem  
omnis abfit confusio, omnes Meacenses Christia-  
ni in certas congregations distributi sunt, quæ  
singulæ tantum habent numerum, quantum Ec-  
clesiæ singulæ capiunt; in quibus conueniunt ad  
habendum Consilium de pauperibus & infir-  
mis, alijsq; rebus ad necessitates tam corporales,  
quam spirituales omnium spectantibus: eoque se  
conferunt fratres nostri prædicandi Euangelij  
causa:

causa: & magnus existit fructus: quia & in fide confirmantur, & in virtutum exercitatione plurimum proficiunt. Omnia autem peraguntur magno silentio, ne nouæ afflictioni præbeatur occasio.

HOC anno sacris baptismi aquis, DEO adiuuante, iustrati sunt homines circiter quingenti, omnesq; à Deo vocati, & admodum capaces doctrinæ Christianæ illis traditæ. Ac hactenus magno animi ardore in vita Christiano homine digna perseuerant. Maior eorum pars est genere nobilis, quidam etiam illustres, & magnæ expectationis. Inter eos primus est huius Gubernatoris filius nomine Quiuxichi Leo, annū ætatis agens decimumsextum, & nepos eius nomine Mondo Michael, ambo præcipui à cubiculis Quabacondono. Hi cum forte ad ædes nostras peruenissent duce homine Christiano prænibili, qui nepotis Nabunangæ Sambrodoni Domini regni Minoani vices gerit, & rationes audissent, quibus demonstrabatur vnum esse mundi opificē, sibi plenè satisfactum esse responderunt: postero autem die, cum alia multa de animæ natura, alijsq; rebus attentè perceperissent, sincerè confessi sunt, sibi veritati consentanea omnia videri quę dixissemus; consilioque inter se breuiter capto, Leo iunior respondit, quandoquidem efficacibus istis rationibus conuicti essent, vnum esse omniū rerum conditorem, minus se facere non posse, quam profiteri se paratos ad suscipiendū sacram aquæ baptismum. Quo responso accepto, equidem considerata iuuenum conditione, suspensus hæsi, ignarus quid factō opus esset; verebar enim ne si

## HISTORICA RELATIO

ne si eos baptizare in aures Regis, aliorumque e-  
manaret: At illi collatis iterum inter se consili-  
js responderunt, cælandam quidem sibi videri  
rem, quoad fieri posset; si tamen diuulgaretur,  
Dominum suum Quabacundonum gauifurum,  
nec Gubernatori displiciturum, eo quod iam à  
multo tempore se amicum nobis declarasset. I-  
taq; baptizati ingenti læticia gestientes, domum  
redierunt, gratiæque baptismi acceptæ clarissi-  
ma signa deinceps dederunt. nam in hanc usque  
horam constantes in fide persistiterunt, multaque  
admiranda egerunt, quæ si V. P. vidisset & pro-  
basset, admiraretur, simulque summa contola-  
tione afficeretur. Tanto studio, tamque breui  
tempore memoriam mandarunt orationes, vt in-  
tra duos dies eas recitare potuerint: & orationi-  
bus ordinarijs minimè contenti, multa alia ad  
doctrinam Christianam attinentia perdidice-  
runt. Sæpenumerò ad sacrum Missæ audiendum  
ventitant, & seruorum nostrorum gregi, ne ag-  
noscantur, se intermiscent. Longius deinde mo-  
derato quodā feruore progressi, beneficio insti-  
tutionis Christianæ vitam ita correxerunt, vt in  
aula nō minima suspicio excitata fuerit eos Chri-  
stianos factos, licet omnes indicarint se magni-  
pere ea de re lætari: ipsi tamen, vt erant iuuenes  
prudentes, semper conati sunt, quoad possent, ré-  
cœlare, nō neglectis interim quotidiis suis pre-  
cibus: vtq; arcanū iliud sanctius cōseruaretur, cu-  
rarunt oñes famulos suos, quos adiunctos habe-  
bant quoties ædes nostras adibant, sacris nostris  
initiari. quod factū est cum summa ipsorum vo-  
luntate & voluptate: qui & in hunc vique di-

em 11

em in suscep*t*a fide perseuerant; sibi<sup>que</sup> impensè  
gratulantur, & de conuersione sua, & de talibus  
Dominis; qui eos non tractant ut olim, durè &  
asperè, tanquam seruos: sed humanè & leniter  
tanquam filios. De Leone certe tam præclaræ  
commemorata sunt, vt obstupuerim. Inter ea  
vnum erat, ante Christianam religionem suscep-  
tam, in iuuentute sua Gubernatori patri &  
matri eum valde immorigerum fuisse; à fa-  
cro autem lauacro tantam infecutam mutatio-  
nem, vt vtrique parenti in omnibus suauissimè  
obsecundarit: eaque remaiorem, quam expli-  
cari posuit, parentes consolationem cœpisse: ne-  
que dubito, quin iam odorati sint eum institu-  
tione Christiana ad illam morum modestiam  
peruenisse, maxime cum occasione data non-  
nunquam, sed magna dexteritate, inuehatur in  
Bonzios ethnicos. Superioribus quoque diebus  
quiddam fecit, vnde certò conijcere possunt  
eum esse Christianum. Habebat eius mater in  
pretio idolum loco abstruso fatis reconditum.  
Huic Leo arrepto, ex ira primo coronam capi-  
tis abstraxit, deinde nasum præcidit, ac deni-  
que pessimè pro eo ac merebatur tractauit. Ma-  
ter recognita primum cum querimonia rem de-  
tulit ad nobilem fœminam, quæ in domo erat;  
tum ambæ ad Gubernatorem; qui prudenter re-  
spondit. Si quid in hac re peccauit Quiuxichi,  
multo certe grauius peccauit vxor mea colens  
& adorans idola omnis potentia expertia. Et  
effusè ridens, apertè declarauit se factum filij  
probare. Interueniens quoque huic sermoni  
nobilissimus Christianus Gubernatoris amicus

dixi

## HISTORICA RÉLATIÓ

dixit. Hinc liquet, eum vobis cariorem esse idō-  
lo; indicans Leonem impensius ab eis amari,  
quam idola omnia; & verè ita esse inficias ire nō  
possunt, cum omnibus exploratum sit Leonem  
ab vtroq; parente ob raram & eximiam indolem  
tantum non adorari; nam cum totius corporis  
specie liberali coniunctam habet insignem pru-  
dentiam multamque rerum intelligentiam; &  
quod eo amplius est, quamcunq; rem bonam vel  
malam esse semel perspexerit, eam pro tali ag-  
nosci & haberi vult: Itaque tanto interuallo ab  
eius sapientia abest Pater, vt vix audeat cum eo  
loqui, ne in consilijs & deliberationibus rerum  
sæcularium vsu quotidiano celebratis filio infe-  
rior videatur. Et quoniā in aula hoc nomine  
omniū in ore & oculis est, Gubernator aliquan-  
do in hæc verbā de eo locutus est. Hic filius meus  
ætate confirmata aut deterrimus erit mortalium;  
aut optimus, vel etiam unus ex illis Sciucque;  
hoc est religiosis, non qui communem vitam a-  
gunt, sed Sanquiogin, qui solitariam & eremiti-  
cam. Ego sane, qui per paucos hactenus noui a-  
dolescentes tantis naturæ donis præditos, in spē  
venio, si Deus ei donum perseverantiae conces-  
serit, eum, ad Dei gloriam præclaram operam in  
proxima Iaponiæ conuersione, pro nominis &  
generis sui dignitate locaturum. Quoties ad æ-  
des nostras ventitat, aut dat operam doctrinæ  
Christianæ addiscendæ, aut de rebus diuinis lo-  
quitur, aut dubia proponit. Idem facit eius ne-  
pos Michaël, magna huius Ecclesiæ, vt appareat,  
columna futurus. Iam tertio de peccatis confesi  
sunt. Nuper cum ambo in arce vel castello Fu-  
cimen-

etimensi degerent, & ob oculos forte haberent innumerabilem hominum turbam, Michael dixit Leoni. Magno profecto beneficio à Deo affecti sumus, quod tot hominibus sponte in infernum ruentibus, nos duo soli singulari quadam gratia & fauore seruati simus. Quomodo autem dignas pro eo rependemus gratias? Non alia recerte, quam sancta & inculpata vita, exercitatione que virtutis. Si vellem persequi omnia, quæ nobis constant de ipsis adolescentibus, & quo longior essem. Deus pro immensa sua misericordia largiatur eis constantiam. Nulla eos iam alia coquit cura, quam quemadmodum multas lucrificant animas; & iam unum nepotem suum nomine Ficoci Paulum, ad CHRISTVM perduxerunt, qui perseverat cum ipsis ratione supra scripta. Certè, si plena libertate frueremur, maxima aulæ pars, pio illorum exemplo mota, nomen suum Christianæ disciplinæ daret: & iam id se exoptare indicauit eius frater ætate maior, quem nondum recepimus, tum quod Leone sit inferior, tum ut maius in eo accendatur desiderium, quo accenso facile inter discipulos Christi locum obtinebit.

Habemus in hac vrbe catechumenum, animo & opere Christianum, quem, quod nepos sit Nobunangæ, & regni Mino Dominus sacris aquiringere non audemus; non nihil enim veremur, si Quabacundo res suboleat, eum afflictiones nostras redintegraturum. Interea adiunximus ei socios duos homines nobiles spectata virtute Christianos, qui nunquam à latere eius disce-

E

dant,

## HISTORICA RELATIO

dant, optimamque eius voluntatem & deuotionem, sartam tectam conseruent. Et hic erit unus ex præcipuis nostræ Ecclesiæ columnis, quito-  
tum quoque regnum suum C H R I S T O adi-  
ciet. Adolescens est magnæ expectationis, & li-  
benter bonis consilijs acquiescit Christianorum  
qui cum ipso degunt, maxime duorum ante di-  
ctorum, Ioannis & Iacobi, quos, vti prudentia  
& virtute præstantes, gubernatores consti-  
tuit, vt eorum consilio omnibus in rebus vti  
posset: agitque cum illis valde familiariter, &  
simul reuerenter, ac frequenter quidem de re-  
bus Christianis, absentes verò, tanquam opti-  
mos Christianos, collaudat. Sic ardet animus  
eius in his initijs, vt nocte vna omnes oratio-  
nes perdidicerit, cum duobus alijs nobilibus, qui  
ad ædes eius venerant, & operam dabant oratio-  
nibus memoriæ infigendis. Manibus fert rosari-  
um D. Virginis & agnum Dei benedictum mul-  
tis precibus ab eo hinc impetratum & missum:  
recitat, ac si Christianus esset, quotidie; præcla-  
reque vita pia exemplo omnibus inter quos ver-  
satur, est magnæ ædificationi: Habet alium  
fratrem ætate minorem in sole præstanti ad  
C H R I S T I quoque fidem aspirante, sed hu-  
is quoque baptismum eadem de causa in aliud  
tempus prorogauimus, Eidem iam dicto Do-  
mino, præter duos quorum ante mentionem  
fecimus, ad sunt alij quatuor hoc anno nume-  
ro Christianorum aggregati, quorum confue-  
tudine magna voluptate vtitur, illi sque fe-  
re solis confidit, consiliaque sua communi-  
cat; et si in ædibus non defint multi alij no-  
biles,

biles, qui desiderio suscipiendi baptismi teneantur.

Hac æstate Christianus factus est quidam vocatus Guemba Ioannes, frater Yetchudoni Gratiae mariti, qui post expensam & discussam diu doctrinam Christianam, cum quinque alijs nobilibus suis decreuit sacram suscipere lauacrum. Dominus est castelli cuiusdam. redditum annum habet vicenorum millium scutatorum, quos illi annumerat frater. Promiserat se nemini patefactum suam conuerzionem: sed voluntate mutata mox omnibus nobilibus suis patefecit, qui & Domini exemplum, ut dictum est, secuti sunt. Egerat & cum alijs in aula sua degentibus, qui rei nouitate obstupefacti sunt. Patri suo, qui cognorat eum factum Christianum, non voluit aliud dicere, quam quemque in rebus ad salutem pertinentibus, esse liberum, Mater eius Christiano nomini infestissima est, & omni idolatriæ addictissima. Hæc legatione ad eum iræ & furoris plenam instituit, sed ille nihil se à semel suscepto proposito dimoueri ostendit. Gratiae filium quendam, quem initio persecutionis, cum alijs, qui eius curam gerebant, baptisaueramus, adoptauit; qua re cognita Guembandonus Ioannes vehementer lætatus est. Speramus hunc suo tempore, quoniam præclaris ornatus est donis stabilem huius Ecclesiæ petram futurum. Ipsa quoque Gratia maiorem in modum lætata est de hoc baptismo, Iusti Vcundoni opera procurato.

In vrbe quoq; Bozacca nobilissimum quendam virū, cuius consilijs & opera Moridonus septem

## HISTORICA RELATIO

Regnorum Dominus, in multis & grauibus negotijs vtitur, sanctis aquis nostris perfudimus. Fuit hic à Deo vocatus singulari animi sensu & feroore; nam cum affirmaremus nos regio edito à baptismo administrando, & catechesi breui- ter tradenda prohiberi, quorum vtrumque ille à nobis postulauerat: respondit primo, se ob multas, graues & continuas occupationes, quibus à Domino suo distineretur, aliter facere non posse; deinde, vt tuto & sine metu nostro id fiat, se cum domino suo Mori acturum, ac facultatem etiam petiturum vt liceat sibi esse Christiano, quod impetravit, perfecitq; felicius, quam nos optare audebamus: neque enim solum id dixit domino suo, verū etiam recepit se, si causa sua tépestas aliqua in nos excitetur, se primum in aciem proditurum, & cum Patribus, si eos defendere armis non possit, occubiturum. Ad hæc promisit, se Patrem vnum cum socio fratre in ditionem suam euocaturum, effecturumq; vt Christiani fi- ant, non solū quotquot imperio suo parent, sed quotquot ex alijs ditionibus eadem gratia vti vo- luerint. Spopondit quoq; se hanc rem Mori ce- laturum, Ecclesiamque, & ædes Patribus ibi cō- moraturis ædificaturum, vt Christiani quoq; qui Amaguccij degunt, & hinc non longe absunt, cō- fessionibus in ecclesia faciendis, alijsq; spirituali- bus adiumentis capiendis vacare possint. Certe Christiani illi magnam voluptatem ex hoc nun- cio ceperunt, tanti enim hunc virum faciunt, vt non dubitent, se, si sub eius tutela & patrocinio sint, facile omnia tela Ethnicorum à suis cerui- cibus depulsuros.

Menses

Menses duo exacti sunt, cum Baptismi aquis Bozaccæ expiat<sup>o</sup> est, iuuenis in primis nobilis nepos Bigenni Saixodonii, qui trium regnum, nempe Bigen, Mimasaca, & Bithchu Dominus est, Augustino amicissimus, & quasi filius huius Regis adoptiuus. Is hac via ad baptismum peruenit. Inciderat in vrbe Bozaccana certa quadam occasione in colloquium veteris cuinsdā Christiani, nomine Romani, dogmatum Christianæ religionis (vixerat enim aliquot annos cum nostris) scientissimi: percontatur Romanum, si nes ne vntus Creator & opifex mundi? Cum vnum esse affirmasset & longa oratione probasset, tandem rationibus cessit, confessus non posse esse nisi vnum omnium rerum conditorem. Proges si deinde longius disputare cæperunt de anima rationali, an esset, &, si sit, an eius natura sit eadem cum diuina? In qua quæstione cum veritatis lumen non satis perspiceret, ad palatium suum reuertit. Sed Deo placuit, vt id temporis frater noster Vincentius esset in ædibus Augustini, qui iuuensem ad se vocari iussit: Ad disputationem de anima ventum est; tota nox in ea vsq; ad primum posteri diei diluculum consumta; animam esse clarissimè demonstratum est; iuuenis manus dedit, & cum reliquis omnibus capitibus, quæ Catechumenis proponi solent, assensisset, Christianæ legis se suscipiendæ baptismiq; desiderio palam teneri professus est. Verum frater noster, cum diceret, non ante illi patere posse aditum ad baptismum, quam multa alia dogmata Christianæ fidei comprehendisset, agrè acquieuit, magnopereque vrgens ut quam-

## HISTORICA RELATIO

primum illa dogmata traderentur, tandem omnibus ritè cognitis, baptizatus est. Iam cum iuuenis sit tanta nobilitate, rogauit eum frater, ut rem totam occultaret, ne si in aures Regis effluerat, ipsi nobisque aliquod impendeat periculum. addixit se facturum. verum cum gratia in sacro baptismo recepta mirificè se accendi & corroborari sentiret, post vnum diem elapsum, cœpit liberrimè omnibus suis socijs rem totam diuulgare. Digressus posteà Bozacca, per regnum Bigen, solum suum natuum, indies magis magisque se Christianum esse professus est, nec religionis nostræ mysterijs dilaudandis satiari potuit, ita ut omnes illi Domini obstupescerent, & imprimis mater Saixodonij, quæ quasi cum toto illo Regno sectæ cuidam inter Iaponias perniciosissimæ Focquexu dictæ adhærescit: ad quam nunquam hic iuuenis se adiungere voluit, sed semper eam respuit, omniaque eius errata & nequitias detexit: sed nec ullus eum ob nobilitatem generis eam ob rem reprehendere ausus fuit, imò multi eum de rebus diuinis loquentem cupidissimè audierunt. Misimus illi hinc coronam vnam, & vnum Agnum DEI. Intra decem dies expectamus eius reditum Bozaccam, & inde huc Meacum, ut pleniū in sacræ fidei capitibus erudiatur, est enim præclaris naturæ & gratiæ donis prædictus, & in legum Iaponiarum noticia longe prouectus. Confidimus in DEO, eum aliquando suo exemplo & auctoritate ante nominata regna conuersurum. Pater eius nomine Tanday,

daye, Domini dictorum regnum ( quæ filius nunc possidet ) defuncti frater, est huius sui nepotis præcipuus consiliarius, & quoniam omnes sunt summa amicitia deuincti Augustino, non arbitramur nos optima spe nostra, quam habemus de illorum regnum ad C H R I S T U M accessione à Domino nostro defraudandos.

Donatus præterea est Baptismi gratia hoc anno aliud quidam maximæ expectationis adolescentis, nomine Moan Paulus, consanguineus Chiusambri Fidandoni Pauli duorum regnum Domini, magna sua & nostra satisfactione, quo enim plures conciones audiebat, & plures quæstiones de rebus fidei mouebat, hoc maiores in dies progressus faciebat in cognitione Christianæ veritatis: Et quia in Iaponicis legibus versatus erat, clarissime animaduertebat, & magno feroore exponebat, quantum inter nostram, Iaponiorumque leges discrimen intercederet; Itaque hac ratione per aliquot dies de veritate fidei institutus magna voluntate se salutaribus aquis ab omnibus ante actæ vitæ fordibus abluendum tradidit. Ac illico nobiscum agere cœpit, de fratre aliquo nostro ad regna Fidandoni emitendo; non dubitare se, maximam partem illorum Dominorum ad C H R I S T I castra deflexurum, si ab eo lex Christiana ibi exponeretur. Et valde probabile est, ita futurum, tum quod illorum Regnum Dominus sit Christianus,

F 4 ac omni-

## HISTORICA RELATIO.

ac omnium quidein qui in hac aula versantur, optimus, tum etiam quod iuuenis, quo de agimus, magnis extremæ Iaponiæ Dominis sanguine coiunctus sit, suaq; in agendo dexteritate, & singulari feroce omnes incitatus videatur ut Christiani fiant. Vnde à cognato Fidadono, ei fuit præcipuum quoddam illorum regnum castellum, cum amplissimis vestigalibus attributum.

Huius vero Pauli iam dicti in catechisticis concionibus audiendis socius fuit Vgadonus Iohachimus inter Cieghos dignitate facile Princeps; qui Cieghi, ea sunt autoritate, ut liberrime non solum in omnium magnorum Dominorum, verum etiam in ipsius regis conspectum prodi re audeant. Apud omnes quoq; in magna sunt existimatione, non tam propter dignitatem quam gerunt, quam propter eximiam prudentiam, & antiquitatum omnium Iaponicarum notitiam, quas solent istis Dominis, magna cum ipsum rur voluptate commemorare. Hic ergo Cieghus quia in legibus sectisque Iaponiorum erat omnino exercitatus, magna attentione conciones audiuit, questionesque varias doctrinæ suæ conuenientes, tanta vi proposuit, ut fratres nostri, nisi diuina gratia adiuti fuissent, ( nec enim legum Iaponicarum penetralia, ut ille, inspexerant ) vix facere satis potuerint. Ac profecto tunc cognouimus, nullum hactenus extitisse Iaponium, qui tam accurate & subtiliter suas disputationes prospuerit, & tam facile veritati concesserit, ac hic Cieghus; qui ante baptismum tanto lumine illu-

illustratus est, ut finem non faceret prædicandæ  
legis nostre, Deoque agendi gratias, quod se ad  
tam sublimem & certum salutis statum vocare  
dignatus esier. Speciatim autem lumen illud in-  
notuit ex eo, quod post cognita aliqua de Chri-  
sto dogmata, cum lacrymis hæc verba protule-  
rit. Quod Deus factus sit homo amore nostri, de-  
inde, vita eius, & mors cum resurrectione, & re-  
liquæ quæ acciderunt usque ad missionem spiri-  
tus sancti, sunt res, humanæ etiæ rationi & intel-  
ligentiæ congruentes, eo quod inde infinita bona,  
ad promouendam salutem nostram, profecta  
sint. at quod homines se faciant Deos, cuiusmo-  
di sunt omnia isthæc nostra idola, non aliud li-  
quet esse, quam meram arrogantiam, falsitatem,  
& incredibilem imposuram, quippe cum nec  
lumen, nec vitam impartiri possint mortalibus.  
Ad hanc orationem omnes sumus obstupefacti, &  
Vcondonus, qui ex angulo quodam verba ista  
inaudierat, satiari nequibat agendis Deo gratijs,  
quod improuiso tantum miraculū in illustran-  
da mente huius hominis verè cœci edidisset.  
Hunc ergo, cum insimis precibus sacramentum  
baptismi à nobis extorsisset, vna cum dicto iuue-  
ne, magna nostra & ipsius lætitia, baptizauimus.  
Baptizatus continenter domum nostram fre-  
quentauit, quotidie doctrinam Christianam ad-  
discens, atque in gratia & feroore spiritus profi-  
ciens, nec non præparans se ad prædicandum o-  
mnibus amicis suis Euangelium. Et quoniam  
omnibus nobilibus notus est, nunc magno cum  
fructu inter eos versatur; nam quosdam iam  
eius opera ad Christum adductos piacularibus

## HISTORICA RELATIO,

aquis aspersimus, atque inter primos, eius filium qui magno cuidam harum partium Dominu seruit. Is verò, quia opinione omnium istorum Cieghorum, habetur virtutum studiosus, & ab omni rerum huius sacerduli cupiditate alienus, in magna gratia & autoritate est apud omnes; qua fretus, luminis, aliorumq; diuinorum carismatum in baptismo receptorum rete liberius ad punctionem animarum ejicit, idque magna & que dexteritate & efficacia. Alius quoque ex eiusdem dignitatis Cieghis initium fecit audiendi conciones nostras, & iam non obscura inditia dedit baptismi proximè consecuturi. In hac urbe Meacensi, viuunt quadraginta vel eo plures Cieghi, omnes eadem dignitate ornati, ac in congregations distributi. Vna quoque eorum pars magnum habet discipulorum numerum, qui & ipsi de Cieghis sunt. Ioachimus supra nominatus cuiusdam harum Congregationum caput est, ferturque multos habere auditores, qui suo tempore omnes CH R I S T I scholam ingredientur. Dico, suo tempore, quia nec dum illos habet pleno iure sibi obnoxios, sed breui habiturus est; qui enim nunc ludo praest, cum quartum annum agat supra octogenarium, non videtur diu victurus. Non possum verbis satis exponere V. P. quantum in hoc Ciegho deprehendamus habilitatem ad omnia bona. Eximia pollet in dicendo gratia, quæcumque è Theologia Christiana proponuntur, comprehendit facilimè, & memoriam dili genter insigit, ut cum alijs communicet, quod sedulo, & cum ingenti omnium admiratione facit.

facit. Vtinam D E v s donum gratiæ, quo tam fœliciter vtitur, in eo augere dignetur. Si Dominus noster vitam illi concesserit, speramus eum in hac vrbe Meacensi magna perfecturum, atque etiam in Quantō, vbi multo tempore est diuersatus. Iam à Moān Paulo euocatus est ad suam arcem, vt populum illum paret ad audiendum res diuinæ, atque etiam vt speramus, ad re c i p i endum baptismum; eamque ob rem vrgemus P. Viceprouincialem vt pro missione Quantana, mittat nobis vnum Patrem, & vnum fratre.

Baptizatus deinde est vir nobilissimus nomine Figidonus Iacobus, cum coniuge sua Lucia, & filia Anna, quod sua exhortatione effecerat Sanrocu Romanus proprius eius filius, & duobus vel tribus annis continuarat, accepta occasione à morte Gaiochuan socii Figidoni, qui dum esset in extremis, per dictum Romanum, (qui id petierat) obsecrauit Figidonum, vt si singulari aliqua consolatione se ante mortem afficeret, salutari lauacro animum adiungeret; hoc donum se oblaturum in conspectu Dei, alia verba prætermitto. Motus hac obsecratione Figidonus, responderi illi iussit, se libenter eius desiderio obsecuturum. quod, vt dixi, fecit, exemplumque eius secuta est familia, & ob nobilitatem eorum complures alij. qui omnes in præsentem vslq; diem constantes in fide perseverant. Possem multa de illis recensere, vt de insigni caritate & simplicitate, qua nos tractant, de que summo studio in moderanda familia tota, ne quid

HISTORICA RELATIO,  
ne quid à recto deflestat: quæ non aliud esse vi-  
detur, quam domus religiosorum.

Bis hoc anno P. Franciscus Perez inuisit Chri-  
stianos regnum Mino & Voari cum magno o-  
mnium fructu: verè ut dici possit, Christiano-  
rum illorum pietatem, sanctaque operatam ma-  
nifestis argumentis augescere, ut sint quoddam  
gentilium speculum, eorumque exemplo mul-  
ti, & ex ijs quidam nobilitate generis clari, Chri-  
stianorum numero se aggregarunt.

IN regno Mino Socondonus Ludouicus. &  
Sceirocudonus Iacobus, viri principes, velut bi-  
næ columnæ totam illam Christianitatem susti-  
nent, subministrandis & quæ temporalibus, cum  
opus est, ac spiritualibus præsidijs, suaque autori-  
tate & exemplò faciunt, ut res nostræ magno lo-  
co sint apud gentiles omnes.

AD conseruandam vñionem, quoque mense  
binis in ædibus conueniunt, & à prandio de di-  
uinis rebus colloquuntur, ac speciatim de re-  
medijs tuendæ confirmandæque pietatis, ac mi-  
sericordiæ continuandæ in pauperes Christia-  
nos, alijsque de rebus optimis. Itaque cum ani-  
maduerterent magnam omnino accessionem fie-  
ri ad rem Christianam, locumque nouæ messi  
pene comparatum, vehementer rogarunt me,  
ut vellem isthuc fratrem aliquem mittere. Cx-  
terum cum plures hic non sint quam quatuor,  
misí illis hominem magna fide & prudentia, qui  
non secus, quam fratres nostri, multis iam annis  
conclaves ad populum habuit fructu maximo.  
nam inter alia vocatus à Toranosucúdono in di-  
tionem

tionem suam, sermone suo & consuetudine familiari, quadraginta hominibus, & inter eos multis eximia nobilitate, auctor fuit complectendæ Christianæ vitæ & doctrinæ, nec antecessabit, quam omnes in eandem sententiam, iuante Toranosucundo homine in fide ardentissimo, pertraxerit. Quod si eorum res ita procedere porro pergent, necessarium erit eis vnum Patrem concedere, quem iam non habemus: nec videtur eis negari posse, maximè cum Sanburodonus iam eo missus ijs donis sit prædictus, ut dixi. & omnino iudico, ibi statim ædificandam esse Ecclesiam, vt P. Franciscus Perez mihi quoque significauit.

Sub hoc tempus, magna lætitia illarum partium Christiani affecti sunt, exemplo cuiusdam viri nobilis, antiqui Christiani, qui cum supra annos triginta inter medios gentiles illibatam fidem, vitamq; Christiano homine dignâ tenuisset, tandem vi morbi in lectum deiectus; ubi intellexit iam nominatum Patrem in Guifū, vrbe regni Mino præcipua degere, se eo deferri voluit. & detectis per confessionem anteactæ vitæ peccatis, optimè comparatus, ingenti sua & fidelium omnium consolatione animam D E O reddidit, honorificoq; funere elatus est: quæ res non modo Christianis, sed etiam Ethnicis non exiguae ædificationi fuit.

Nec minor fructus constitit in regno Voari, ubi Christiani omnes errata sua sacerdoti patefecerunt, & ad fidei, piorumque operum exercendorum constantiam se mutuo animarunt,

Quam

## HISTORICA RELATIO

Quam in rem non mediocriter prosunt exempla  
Tangedoni, & generi eius Sciozaimondoni, ac  
fœminæ vnius Christianæ nomine Aloysia, quæ  
inter Christianos illos, est instar vnius fratris  
nostris, & in se curam suscepit iuuandorum om-  
nium qui in vrbe Quius versantur.

Vt verò cognoscat P. V. quemadmodum  
Deus quoque se communicet humili loco natis,  
& sancta iua gratia ad magnam animi nobilita-  
tem euehat: Fuerunt ibi iuuenes duo, qui tan-  
tam in sua conuersione fidem, & in vocatione  
constansiam declararunt, vt multis licet pro-  
bris, iniurijs & persecutionibus à cognatis di-  
uexati, ne minimum quidem languescentis ani-  
mi inditium dederint, quod Christianis omni-  
bus magnæ voluptati & ædificationi fuit. Unus  
eorum erat filius fabri lignarij, hominis Ethni-  
ci, in eorum sodalitatem adscripti, qui ratione  
suæ stirpis & genealogiæ officium gerunt statis  
anni temporibus idolis Iaponicis ministerium  
suum præstandi, quare & legi Christianæ infe-  
stissimus est. Verum apud D E V M non est ac-  
ceptio personarum. Filius iam dictus, cum deci-  
mum quintum vel decimum sextum annum age-  
ret, & litteris Iaponicis imbueretur ab homine  
Christiano eximia doctrina & virtute prædicto,  
tanti Magistri egregio exemplo permotus est,  
vt cognita Christiana catechesi, etiam diuinum  
baptismum susciperet. Res licet secretissima,  
non diu latuit Patrem, qui ira æstuans, vt insigne  
scilicet negotium eius magistro facesseret, iuu-  
nem omnibus vestibus nudatum domo exturba-  
uit, iussitque ne in eam, nisi eiurata lege, quam  
pro-

profectus esset, pedem amplius inferre auderet.  
 Exturbatum, consilioque paterno minimè ac-  
 quiescentem Tangodonus in suam domum rece-  
 pit, in qua ad multos dies permanxit. Interim  
 dictus faber impotenti animo comminabatur, se  
 per magnum quendam Dominum inibi commo-  
 rantem, nomen Christianorum apud Regem de-  
 laturum, effecturumque ut omnes è medio tol-  
 lantur. Sed tandem certi Christianorum amici  
 suo interuentu & rogatu licet ægrè hominem  
 impulerunt, ut filium non solum in ædes suas re-  
 ciperet, sed etiam in religione Christiana per-  
 sistentem impunè haberet. in qua haec tenus, con-  
 temptis paternis conuitijs, fortiter persistit.  
 Alius adolescens eiusdem ætatis & scholæ bap-  
 tizatus est à dicto Magistro, quem pater re cog-  
 nita, tam durè accepit, ut coactus fuerit fugam  
 capeſſere, & auxilium implorare Christiano-  
 rum Minoenſium, qui per quadraginta dies eum  
 humanissimè traçtarunt. Pater animaduertens  
 non reueriti filium, etiam atque etiam dictos  
 Minoenses obtestatus est; ut filium remitterent,  
 sancteque promisit se permisſurum, ut in fide  
 Christiana perseveret; ita remissus est, & à pa-  
 tre magno honore & gaudio suscepſus. Cum  
 ergo illis Christianis factum esset satis P. FRAN-  
 CISCVS PEREZ redijt, & ex itinere inui-  
 fit CHRISTIANOS regni Vomi, qui viuunt  
 sub patrocinio BOCO IOHANNIS, & alterius  
 cuiusdam, nomine Sancij, qui, vti sunt mag-  
 na virtute & zelo præditi, omnibus illis Chri-  
 stianis duces & autores sunt ut constanter in re-  
 ligione Christiana persistant, eosque non secus  
 quam

## HISTORICA RELATIO

quam filios, in timore Dei gubernant, quaque  
Dominica in ædes suas conuocant, procurant-  
que ut suo tempore omnes de peccatis confitean-  
tur. Hi duo sunt illi, qui exortæ persecutionis  
initio, magno vitæ suæ periculo me ad septua-  
ginta dies domi suæ aluerunt. DEVS benedic-  
tus, abundè compenset eis omnes ærumnas,  
quas in gloriam nominis sui sponte sustinue-  
runt.

Hoc anno bis inuisi Christianos agentes in vr-  
be Bozacca, Sacai & Tacaencuqui, atque etiam  
eos, qui habitant in montibus, fructu non pœni-  
tendo, qui tamen maximè in illis montanis, vt  
pote hominibus rudibus & simplicibus, eluxit:  
nam in illis quasi visibiliter eximij gratiæ diuinæ  
effectus se produnt, omnes admirabili concor-  
dia inter se coniuncti, humiles, obedientes, de-  
uoti, bis quotidie Ecclesiam ad consuetas oratio-  
nes persoluendas adeuntes. Quibus exemplis  
vicini gentiles plurimum commouentur, &  
paulatim ad eandem legē complectendam per-  
ducuntur. In ditione Tacaencuqui, DEO pro-  
pitio, fauore quorundam veterum Christiano-  
rum ibi degentium noua Ecclesia hoc anno exci-  
tata est, in qua ipso Circuncisionis die cum om-  
nium lætitia & gratulatione primum Missæ fa-  
crum celebraui. Inspexi quoque loca, in qui-  
bus nonnullas afflictiones & certamina, maxime  
sub persecutionis initium eram perpessus, inter-  
que gemitus & lacrymas affluebant noua solatia  
videnti exurgere rursus Ecclesiam, licet priori  
minimè parem, & superesse adhuc aliquas pri-  
morum Christianorum reliquias. Cum vero  
postea

postea didicissem, gubernatorem ditionis huius constitutum nobilem quendam virum, bonum & humanum, omnino decreuimus eum vere proximo visitare, omnemq; lapidem mouere, ut fiat Christianus: & ita futurum, ex optimis naturæ eius donis, auguramur. Et si factum fuerit, nō dubitamus, magnum fidelium numerum eius exemplum secuturum.

In hac visitatione aecidit res quædam memorabilis, quæ haud scio, maioremne nobis dolorem, an voluptatem conciliarit. Cum rex Tai-consama mandasset Iosce Benedicto filio Riusæ gubernatoris Sacayani, vt in ædibus recens in novo oppido Fuscimensi fabricatis tres vel quatuor mulieres sibi adiungeret, eo quod locus ille esset per amœnus, & ad delicias factus, respondit Yacuin qui præsens aderat, neutquam id fieri posse, propter eius coniugem Agatham excellenti virtute fœminam, quæ vti natura vehementior & ferocior esset, ita nunquam æquo animo eam rem sit toleratura. Sed cum rex rursum instaret, Iosce, ne hominem offenderet, verba quædam purgandi sui causa protulit, quæ secundum externam speciem ponderata in deteriorem partem à Christianis accipi poterant, quasi aliud quiddam reconditum gestaret in pectore. Mihi profecto, re pér Agatham cognita, prima fronte visa est periculi plenissima, ansamque datura acerbiori in nos excitandæ persecutioni, quam hactenus sustinuerimus. nam si coniunx marito in hoc negotio, vt est Christianæ disciplinæ tenacissima, cum mi-

G nis

## HISTORICA RELATIO

Nis serio obsistat, mox ad aures Regis perueniet,  
qui si intelligat illas minas ab ea ratione Chri-  
stianæ legis intentatas, verendum est, ne eueniat  
nobis, quod S. Petro quando martyrium subiit,  
hoc est, ne agamur in crucem. Quam ob rem  
anxious, interque spem & metum iuspensus, ac  
quid factio vel consilio opus esset ignarus, rem  
totam patefeci Rioqui dicti Benedicti socero,  
dixique ut compararet se ad mortem, quando-  
quidem filia sua AGATHA constituisset ne-  
quaquam tolerare, quæ REX marito suo impe-  
rasset. Ille vero actutum respondit. Parabo  
me libenter: immo hæc verba subiecit. VIN-  
CENTIVM filium suum, in bellum Coraia-  
num abeuntem, dixisse sibi; si occasio se offer-  
ret sustinendi martyrij, nulla se interposita mo-  
ra, nomina omnium in familia sua degentium,  
etiam minimorum puerorum in schedam re-  
laturum, eamque Iudicibus oblaturum, cum  
adiuncta confessione, omnes illos esse CHRI-  
STIANOS: non posse se angusto fractoque  
animo esse, ubi de honore DEI vindicando,  
tuendoque omnium Iaponiæ CHRISTIANO-  
RVM bono agitur. Quæ responsio, existima-  
re potest P. V. quantam nobis attulerit volunta-  
tem, maximè cum experientia quotidiana in  
hoc genere ita se haec tenus nobis probarit, ut mi-  
nimè dubitemus facta verbis responsura. Ce-  
terum quia res erat tam ardua & grauis, diu  
multumque expendimus, quid factio opus fo-  
ret, ut DEVS iuscepto nostro ad oppetendam  
pro

pro nominis sui gloria mortem voto & desiderio, suam quoque voluntatem nobis in negotio tam lubrico patescet: reque DEO per duorum dierum preces assiduas commendata, in quibus vniuersa utriusque Iosce & Rioqui familia expiatim per confessionem noxis pane cœlesti se communierat, in mentem venit, rem in hunc modum transigendam.

Nempe, ut proposito ab omnibus facto non offendendi D.EVM, AGATHA, dum Iosce Fuscimum ad incolendas nouas ædes se confert, inuiseret Iacuimum, ei que dicere: quandoquidem marito suo deinceps viuendum esset Fuscimi, se quoque eo concessuram, ut ei cohabitent; nulla siquidem ratione conuenire, ut cum illo degant alia mulieres; sed nec villo iure cum à Regé constringi posse, ut in gratiam eius, alia utatur coniuge, alioquin nullam se quietem marito suo Iosce relieturam: quare & dictum Iacuimum, vti sumum eius amicum, & maxima autoritate apud Tayco tisamam, marito omne studium impendere debere ad eum ab hac calamitate liberandum. Placuit hoc consilium omnibus; & quoniam repugnabat nullus, felix iperatur consecuturus exitus. Si V. P. prætens adfuisset, quando hunc casum ventilauimus, maiorem in modum admirata fuisset ardorem, prudentiam & constantiam AGATHÆ uxoris Iosce, quæ ad confirmandam fidem eius, quod animo destinarat, in hac verba prorupit.

G 2

Siego

## HISTORICA RELATIO

Si ego odoratus fuero, te alia usurum coniuge,  
vt Christianæ religionis amans, te commonebo:  
si verò monitis meis posthabitatis eam in domici-  
lium tuum admiseris, ego mox præsto adero, &  
cum extrema ipsius tuaque contumelia manibus  
in capillos cōiectis eam inde exturbabo, etiam si  
certo sciam me eam ob rem à rege, cui summo-  
pere hoc meum facinus displicebit, in crucem  
agendam. Itaque pro virili parte tua procu-  
ra, vt non aliud fiat quam iam ante dictum  
est. Vtinam Dominus noster impedit, ne  
hic Rex quidpiam tale Iosce imperet, vt re to-  
ta silentio suppressa omne periculum remouea-  
tur.

I A M verò, vt V. P. intelligat, quam meritò  
doleamus non amandari huc Roma, & ex alijs  
Europæ partibus operarios, commemorabo rem  
consolationis plenissimam, atque utinam ma-  
gnum V. P. calcar addat, ad parandum aliquem  
numerousum operariorum nouorum exercitum.  
Ante aliquot annos Bozaccæ sacris baptismi a-  
quis ablui Nobunangæ generum nomine Chu-  
sambrodonum, vel Findadonum Leonem, ho-  
minem in legibus Iaponicis exercitatum, in-  
signi prudentia præditum, famaque & existima-  
tione nominis inter omnes Iaponiæ Dominos  
longe Principem, tum ob singularem in bellis  
gerendis fælicitatem & fortitudinem, tum ob  
raram eius in omnes liberalitatem. Hic tum ob  
maximam mutationem & vicissitudinē in regno-  
rum statibus ex bellis consecutam, tum ob Pa-  
trum nostrorum exilium non potuit perinde  
ac nos

ac nos optabamus, nostris mederi afflictionibus, vt enim omnibus Dominis dignitate anteibat, ita omnium quoque in oculis ferebatur. Verum enim uero in fidei professione constans semper permanxit, nec quicquam de pristino in Patres amores detraxit, inuisens eos, quoties locus & opportunitas minima se offerret. Cum ergo Rex non ignoraret, eum tam præclaris naturæ dotibus insignitum, ad tantam status dignitatem eum euexit, vt inter præcipuos Iaponiæ Dominos numeretur, plus autem omnibus sit amatus, eo quod in illo omnem spem defixerit Iaponicæ Monarchiæ conseruandæ in suis successoribus. Quod superioribus diebus manifestissimè declarauit; nam cum nuncium accipisset, illum ex grauissimo morbo ad mortem usque decumbere, lacrymans dixit. Si diem obeat Findadonus, iam omni spe excidi Monarchiæ in meis continuandæ. Quare & inusitatam diligetiam adhibuit in valetudine eius procuranda: mandauitque duobus præcipuis Dominis vt eiusdem rei curam in se susciperent, & quotidie se de eius statu certiorem reddearent. Cum dicto Leone quasi continenter versatur Iustus Vcundonus, nam multo iam tempore arctissima inter se necessitudine sunt deuincti, hic enim illi auctor fuit vt Christianæ religioni nomen daret, & nunc operam dat Iustus, vt ad primum statum, quo Christianis initiatus est sacris, eum reuocet, quemadmodum & fecit; Nam dictus Findadonus crebro de me in sermonibus quotidianis percontatur

## HISTORICA RELATIO

tur; & per molestè se ferre declarat, me adhuc delitescere; virgetq; vt cum huius vrbis Gubernatore agam de loco, in quo nobis ædes cum Ecclesia excitentur, se quoque eadem de re cum eo acturum; Regi deinde expositum, ex praua quorundam informatione nos esse exilio mul tatos, non conuenire in nos capita illa accusatio num ob quæ delati eramus; sibi que proffus vi deri, Regem facile omnia condonaturum. Hæc omnia mihi retulit Vcondonus, qui illud quoq; addidit, se, si ex morbo conualefacat, apud eum effecturum, vt vnuis Pater cum fratre in sua regna amandetur, ibique commoretur & Christi Euangelium annunciet, seque litteras ad suum cognatum Moan Paulum supra nominatum datum, vt ijs acceptis voluntatem suam exequatur, hoc est, vt vniuersus status fiat Christianus.

P A T E T autem status vel ditio eius in longum itinere decem, in latum verò septem die rum; inter opida autem habet vnum nomine Aizv magnitudine præstans, denis ædium millibus initructum. Ab oriente attingit mare, ita ut facilis inde sit traiectus, si triginta vel quadraginta dies impendas, in nouam Hispaniam. Videt ergo V. P. quanta sit hic dispositio & præparatio diuina gratia opitulante facta ad conversionem omnium istorum regnum. Et si D e o placuerit integrum huic Domino restituere valetudinem, nec aliud impedimentum

inter-

D E O M N I . I A P O N I A E R E G N .

interuenerit , procurabimus eodem propitio ,  
vt omnia quæ ante dicta sunt fiant ; mihique vi-  
detur , Patrem Viceprouincialem ad hoc vnum  
Patreincum fratre vno missurum . Q uod si Do-  
minus noller pro immensa sua misericordia  
prosperos rei successus dederit , curabimus quo-  
que eo mitti Cie gum Vgoradonum , cuius supra  
mentionem fecimus , is enim Findadoni cognata  
tus est , & in ijs regnis diu versatus , omnibusq;  
notus .

C u m huc scribendo peruenisset , aduo-  
lat Iustus Vcondonus , totus lætitia exultans ,  
& nuncians Findadonum in rebus fidei esse qua-  
si hominem recens à morte ad vitam excitatum ,  
atque ideo ad eam rectius confirmandam impen-  
sè petere , vt illuc V I N C E N T I V S frater no-  
ster mittatur , à quo omnia necessaria cognosce-  
re possit . Post biduum ergo eum mittam . Po-  
stulare cœpit , vt omnes sui amici ad C H R I S T I  
Ecclesiam adiungantur ; Vbi de peccatis suis  
confessus fuerit ; de quo iam Vcondonus statuit  
eum commonefacere , non dubitamus Spiritus  
sancti gratiam in eo operaturam tanta efficaci-  
ate , vt unus ipse , pro existimatione qua pol-  
let apud regem , sit nos pristino statui restitu-  
turas . Vcondonus in locanda hac opera non  
sinit sibi vel minimam opportunitatem eri-  
pi , & in eam spem adducimur , fore , vt D O-  
M I N V S noster tam diuturnam mortifica-  
tionem tot annis toleratam breui commutet  
in summam consolationem , & ex eo mag-  
num lumen sancti fidei prædicatorem & ministrum

G 4 efficiat.

## HISTORICA RELATIO

efficiat. Ex his verò omnibus iam memoratis V. P. facile potest quasi oculis coram intueri maturum & proximum fructum, quem hæc vinea sua, & dilecta Iaponiæ sponsa promittit, per hanc tribulationem, in qua etiamnum versamur, significatum.

S V B finem harum litterarum, visendi mei causa huc venit adolescens ille regni Bigen, dictus Saquiodonus Paulus, quem Vincentius frater noster concionibus suis Bozaccæ à superstitionibus Iapenicis retraxerat. Aliquot horas cum eo collocuti sumus. & ex rerum narratione facile collegimus, eum magnam in Regnis occidentem spectantibus Ecclesiæ columnam futurum. Pauca ex illis, quia memoria digna sunt, & consolationem tum V. P. tum nostris allatura videntur, hic annotabo. Dictus adolescentis à suscepto Baptismo domum suam reuertit, in regnum Bigen. Post redditum infirmatur vxor, & intra paucos dies moritur. Morte hac vehementer affligitur, tum quod fœmina esset admodum nobilis & prudens, eamque ipsos undecim annos habuerat, tum quod à natali suo nullus ei tam acerbus casus acciderat. Turbato in mentem venire cœpit, quid si tibi id obuenerit ob susceptam nouam religionem? nec deerant alij, ut complures Bonzij, & nonnulli consanguinei, qui idem auribus eius inculcarent. Sed mox rediens ad se, oculis in cœlum sublati, dixit in corde. Magna est hæc dæmonis tentatio, quam D E V S  
ad pro-

ad probandam meam cōstantiam permisit: cumque ita sit, nihil à me obtinebit. Inuito ergo animo cohibitis lacrymis, processit ad funus defunctæ, omniaque eius pretiosa vestimenta, ornamenta, & quicquid ad eam pertinebat è cubiculo eiecit, dicens præsentibus, quoniam illa alterius sectæ fuisset, curarent eam humari à Bonzijs: se quoniam Christianus sit, nihil de eius rebus usurpatum. Hic Bonzij contra instare, nisi Christo renunciet, sectamque vxoris profiteatur, se ne digitum quidem funeri admoturos. Ille verò magna incensus ira ex aduerso responsare, ne quidquam hac de re mutirent, facerent de cadauere, quod collibuisset, abijcerent, si vellet, in lutum, se à sua sententia non discessurum. Bonzij igitur perspecta eius constantia funus ad sepulchrum, & cum eo omnia vestimenta è cubiculo abiecta, extulerunt. Ut verò luculentius suæ in fide Christiana constantiæ publicum exemplum daret in conspectu totius multitudinistum Bonziorum, tum aliorum Dominorum gentilium veritus non est vesci carnibus, in eo ipso loco, in quo vxor sua vita deceserat, quod gentiles sacrilegij loco habent, si fiat non solum ipso mortis die, sed etiam eodem die per multa annorum curricula; Quam rem etsi omnes admirarentur, nullus tamen fuit, qui reprehendere auderet. Hac victoria plurimum erectus est & confirmatus, magnoque iam desiderio flagrat insigne aliquod facinus ad gloriam dei designandi, pro rependendo quadantenus summo vocationis suæ beneficio, ut ipse loquitur prætot mi-

## HISTORICA RELATIO

libus hominum ethnicorum sibi præstito. Ac  
ut clarius liqueret, quanta spiritus sancti gra-  
tia imburum fuerit illius pectus: semel atque i-  
terum in multorum præsentia dixit, si noua-  
liqua in nos tempestas, qua exulare cogamur,  
exorta fuerit, non se permisurum, ut ditione  
sua excedamus, & si opus sit, tutela nostri in se  
suscepta, Ecclesian. in sui regni montibus, at-  
que ædes constructurum, vbi nostri suis mini-  
sterijs fungantur, & omnes suos subditos doc-  
trinæ C H R I S T I A N A E præceptis instruant,  
quanto fieri potuerit silentio, ne ad aures hu-  
ijs regis perueniat. Quod si verò ea ex re vel  
minimum capitibus nostris impenderet peri-  
culum, se primum fore, qui vitam pro C H R I-  
S T O sit profusurus, ac de hac sua voluntate &  
proposito neminem debere ambigere. Adde-  
bat deinde, se id facere non tam Patrum quam  
D E I amore impulsum, cui intelligeret pro tan-  
tis beneficijs collatis, se, quantus quantus esset,  
prorsus obstrictum. Crebro quoque vehemen-  
ter obstupefcens, verba illa identidem iterabat,  
demirari se non parum, qua ratione Christia-  
nus fieri potuerit, cum regnum consobrini sui  
secta omnium I A P O N I C A R V M deterrimæ  
adhærescat, in eoque non degant plures tribus  
Christianis. Nimirum perspiciebat ille, nomen  
hominis Christiani, non industria virtuteue hu-  
mana, aut merito comparari, sed sola D E I mi-  
sericordia, & idcirco quadam quasi siti exti-  
mulabatur aliquid ad gloriam D E I faciendi; ac  
quoniam in re præsenti aliud non incidebat, et  
iam

iam atq; etiam à me postulabat fratrem aliquem,  
 qui suo in statu Christum prædicaret (in quo  
 suos habet redditus vicenorum millium aureo-  
 rum) omnesque ad verum D E I cultum pertra-  
 heret: sæpe quoque repetebat, quanta gratia à  
 diuinâ maiestate donatus esset, ac speciatim cla-  
 riſimæ cuiusdam, quam in anima ſentiret, cog-  
 nitionis ſui, ſic vt ei non videretur homo, qui id  
 non intelligeret. adiungebat etiam, quotusquiſ-  
 que non crederet D E V M eſſe conditorem cœli  
 & terræ, eum eſſe mortis reum, ſequē in ea fi-  
 de, ſi occasio ſe offerret, paratum mori. Neque  
 me debere dubitare, ſi Rex iſte millies ſibi im-  
 peraret, vt religionem Christianam eiuraret,  
 quin millies potius pro eius veritate ſit iugulum  
 porrecturus: neque illud nouum & admirabi-  
 le poſſe videri, cum ſæpenumero homines pro  
 Dominorum ſuorum temporalium, aut fortu-  
 narum iuarum defenſione morti ſe obijciant. A-  
 lla denique eiusdem generis tam multa ſubiecit,  
 vt non dubiam ſpem habeamus, eū inter magnos  
 Dei ſeruos annumerandum. Eſt adoleſcens virgin-  
 ti quatuor annorū, tum Domino ſuo, tum omni-  
 bus alijs in hoc regno existentibus imprimis car-  
 us; qui promptè illi nō ſecus ac confobrino eius  
 obſequuntur, & vt multis naturæ atq; gratiæ do-  
 nis ornementisq; præ alijs conſpicuū tuſpiciunt  
 & admirantur. Utinā Deus illi impertiat donum  
 perfeuerantiæ, quemadmodum iperamus; noſtræ  
 certe industria in eo formando nunquam deerit,  
 donec euadat in aterū Inſtū Vcondonū: quod fa-  
 cile erit, ſi Meaci, vel Bozaccæ, vel certè Fuscimi  
 dega-

## HISTORICA RELATIO

degamus: inuitabimus enim eum crebro in domum nostram, curabimusque ut accurate in rebus diuinis, sanctaq; fide nostra instituatur. Cuius constantiam omniumque istorum regnorum conuersionem etiam atque etiam petimus V. P. omniumq; Patrum & fratribus Societatis precibus apud Deum esse commendatam: sicut ijsdem cupimus quoque nos commendatos, quia re vera multis magnisq; cum difficultatibus s̄epe conflictamur, nec vñquam desunt infestæ dæmonum insidiæ, variæ afflictiones & ærumnæ, quibus sol gratiæ diuinæ lumine & præsidio fulti superiores esse possumus, M E A C O, 14. Februarij. 1595.

V. R. P.

Seruus & filius in Christo

Organtinus.

---

F I N I S.

